

corum defensionem robuste suscipere sicut cœpisti, equum meum parabilem, et mulum quem elegeris do, lego. Memor esto mei, filii dilectissime, Amen.

Ecclesiæ S. Petri peristromata quæ ei ad utendum in Natali ejusdem sæpe concessi, omnino et absolute do, lego.

Tibi fratri et consacerdoti carissimo, de quo Dominus providebit regendæ post discessum meum Ecclesiæ nunc meæ, tunc tuæ, aut potius nec meæ nec tuæ, sed Christi, do quidquid ad usum episcopalem de rebus meis volueris eligere in camera et sacrario vicino. Quod nolueris, hæredum meorum nominandorum esto. Presbyterum de Malleio, eumque de Orbona ad gradus unde merito dejecti sunt, nunquam restituere. Sportulam tamen habeant quandiu vixerint super parte reddituum meorum de Preslaio; quod supererit, cum parte illa quam utendam fruendam illis concessi, postquam obierint, et tibi utendum fruendum relinquo: post discessum tuum Ecclesiæ meæ do, lego. At tu, frater et consacerdos carissime, presbyteros, diaconos, clericos, virgines, meos, tuos, ama, exemplo juva, benevolentia præveni; fac ut sciant se tibi filios, non servos; te illis patrem, non dominatorem, rogo, volo, statuo.

At vos viscera mea, fratres dilectissimi, corona mea, gaudium meum, domini mei, filii mei, paupe-

res Christi, egeni mendici, argri, viduæ, orphani; vos, inquam, hæredes meos scribo, dico, statuo. His quæ supra detractis, quidquid in bonis habeo, sive in agris, pascuis, pratis, nemoribus, vineis, mansis, hortis, aquis, molendinis, sive in auro, argento, et vestibus, ceterisque rebus de quibus me disposuisse non constabit, hæredes esse vos jubeo. Et ut omnia per discretionem administrentur, volo ut distrahantur quamprimum obiero, et fieri poterit, et in pecuniam redigantur, cujus tres partes fiant. Hominiibus egenis duæ distribuantur, ut placuerit Agrario presbytero, et comiti Agiloni. Tertia viduis et pauperibus feminis, uti placuerit virgini Dadolenzæ, distribuantur, volo, rogo, statuo.

Testamentum hoc manu propria scriptum relegi et subscripsi ego Perpetuus, calend. Maias post consulatum Leonis Minoris A. Illud tu, Delmati filii, apud te depositum serva; et cum alio simili mea pariter manu scriptum et subscriptum, quod apud Dadolenam deposui, Agiloni comiti coram fratribus meis presbyteris, diaconibus et clericis aperiendum et legendum trades, in nomine Domini volo, rogo, statuo, fixum ratumque sit. Benedic, Domine: veni Christe Jesu.

Ego Perpetuus in nomine tuo, Amen.

EPITAPHIUM PERPETUI EPISCOPI.

Culmina sublimi tollunt quæ vertice cristas

Eximius meritis Perpetuus dederat

Domno Martino, cujus sub marmore pausant

Ossa, veneratur quæ pia plebs precibus.

Hæredem scripsit Christum, atque aurea multa

Sacrando Domini vasa cruore dedit.

Transmisit cœlo, quæ plurima cessit egenis,

Fecit et ante suas scandere divitias.

C Clarus avis, atavisque potens, fuit atque senator:

Clarior at sua dum pauperibus tribuit.

Sed neque Martino soli tam grande sepulcrum

Construxit, tumulum fecit et esse suum.

Et licet ante pedes Martini contumuletur,

In cœlo simili gaudet uterque loco.

Respice de superis super hoc, bone pastor, ovili,

Perpetuusque tuam perpetua patriam.

(Epistolam Sidonii Apollinaris ad Perpetuum videsis supra inter opera Sidonii lib. vii, epist. 9.)

ANNO DOMINI CCCCLXXXV.

CEREALIS

CASTELLENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA EX GENNADIO.

Cerealis episcopus natione Afer, interrogatus a Maximiano Africanorum episcopo si posset vel paucis divinæ Scripturæ testimoniis absque ulla disputationis duntaxat assertionem, fidem catholicam assignare.

Quam ille in nomine Domini suffragante sibi veritate, non paucis testimoniis sicut Maximianus irridens petierat, sed copiosis tam Veteris Testamenti quam Novi approbavit, et libello edidit.